Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

tanti diei occurrere cum vicinis debuit. segnitie tor-
pens domi remansit. et cum diem feriatum servare se
~~vacuum~~ deberet. panibus coquendis clibanum succendit.
Quem obire cum a cohabitantibus argueretur. parvipendens
se diem ostendens. meritisque sancti confessoris arrogantius prosecu-
tione retinens. vice quod meruerat experta est. Iam flamma
quam in clibano accenderat. velud tanti reatus ultrix ex-
iens eam subito invasit. concremarique acriter cepit. quam il-
la effugere posse autumans. cursum arripuit. fugam-
que capessit. sed ultrix flamma que semel adheserat effugi
non poterat. Consumptis igitur indumentis consumitur et caro. et
ne vita deficeret. ignis extinguitur. eque sed ipsa accensa
manibus iam adeo concrematis. ut de dextere quidem despe-
raret sanitate. Latet igitur in hoc facto et insipientibus asscrip-
tis quid devotio et quid presumptio apud sanctorum merita promeru-
erit. cum alteri premium. alteri irrogetur supplicium. Non multo
autem post ea cecus quidam loco et familia cognitus. auditis sancti
confessoris miraculis. veniam lumina petiturus. credens sanctis
meritis posse fieri. quod multis huiusmodi miseria dampnatis
audierat prestari. Cuius fidei devotionem divi-
na continens miseratio trium dierum spatio constantiam
probare voluit. Et id enim triduum apud sancti confessoris loculum
precibus persistens. cecitatis sue nulla ex parte solamen est
adeptus. At ubi sua se peccata obesse credidit. se ex se diiudi-
cans. amicum lumen post biduum sue revisionis promeruit.
In quo facto divine virtutis effectus et pacienciam hominis proba-
vit. et confessoris sui merita non eo tantum loco ubi iacuerat ostendit
sed ubique vigere clara virtutis ope manifestavit.

18 aug.

Passio S. Sixti martiris et sociorum eius.

Tempore quo galba mortuo. decius a babilonia (roma) rediit. et sanctos martires
abdon et sennen sub regibus martirio coronavit. eodem
tempore decius cesar et valerianus prefectus iusserunt sanctum sixtum episcopum
urbis rome cum clero suo presentari. nocte in custodia
tē intelluide. Sixtus igitur apud athenas natus et doctus primo quidem
philosophus. postea vero christi discipulus. dixit clero suo. Fratres et
commilitones mei nolite expavescere. Omnes sancti quanta pas-
si sunt tormenta. ut securi perpetuam obtinerent palmam vi-
te eterne. Iam et dominus noster ihesus christus passus est pro salute

nostra ut nobis exemplum relinqueret. Et voce clara dixit. Vide-
te ne metuatis impiorum terrores. Responderunt felicissimus et
agapitus et dixerunt. Et sine patre nostro quo ibimus. Et presentatus est
nocte decio et valeriano cum duobus diaconibus suis. Dixit
autem ad sixtum episcopum decius cesar. Scis quare propter te nunc convenimus
publica nobis presentatus es. Respondit sixtus episcopus. Scio et bene scio. De-
cius dixit. Ergo si scis. fac ut universi sciant et ut tu vivas
et universus clerus tuus augeatur. Sixtus episcopus respondit. Vere feci et fa-
cio ut clerus meus augeatur. Decius dixit. Ergo et sacrifica diis
immortalibus et esto princeps sacerdotum. Beatus sixtus episcopus dixit.
Ego semper sacrificavi et sacrifico deo patri omnipotenti. et domino ihesu
christo filio eius et spiritui sancto. hostiam puram et immaculatam. Decius dixit.
Senectuti tue nos consulimus. itaque et tu tibi consule et clero tuo.
Beatus episcopus dixit. Usque adhuc consultor sum mihi et clero meo. ut de
profundo mortis conversos omnes eripe. Decius dixit. Sacrifica diis.
nam si non sacrificaveris tu eris exemplum omnium. Sixtus episcopus
respondit. Iam semel tibi dixi. sacrificium semper offero deo meo. et
domino ihesu christo filio eius. Decius dixit ad milites. Ducite eum ad
templum martis. ut sacrificet deo marti. quod si noluerit
reducite eum in privatam custodiam mamurtini. Et duxerunt
eum ad templum martis. et coartabant eum sacrificiis inquina-
ri. Tunc beatus sixtus episcopus dixit. O infelices quod non ploratis sed ado-
ratis idola vana et manufacta muta et surda. que nec sibi
nec aliis prosunt. sed audite me filii et liberate animas vestras
de eternis suppliciis. et nolite pavescere ista tormenta. sed me-
tuite illa. et venite et agite penitentiam. quia nescientes sacrifi-
castis idolis vanis. Et iussu decii duxerunt eum in custo-
diam privatam mamurtini. cum duobus diaconibus felicissi-
mo et agapito. Cumque audisset beatus laurentius archidiaco-
nus beatum sixtum tantum in custodiam recludi. his verbis appella-
re eum cepit. Quo progrederis sine filio pater. quo sacerdos sancte si-
ne ministro properas. tu numquam sacrificasti sine ministro
nec offerre consueveras. Quid in me igitur displicuit paterni-
tati tue. numquam degenerem me probasti. experire certe utrum
idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti dominici corporis
consecrationem. cui consummandorum consortium sacramentorum cre-
didisti. huic sanguinis tui consortium negas. vide ne
periclitetur iudicium tuum. dum fortitudo laudatur. Abiectio